

Titulum e *Morimundo Galliae* a. 1648. accepisse. Dicemusne utrumque *Odonem Italum* et *Gallum* casu in unum Codicem congestos, aut retractata denuo retractabimus, et praecedentes *Sermones Galliae* reddemus? In tanto Litteratorum de posteriore Opere filentio opportunissimum erit, ad il-

*Vos qui sub Christo mundo certatis in isto &c.*

CCCCXX.

U. 265. Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 194. f. per duas columnas nitide perscriptus, et rubricis ornatus sequentia complectitur: I. D. *Bernardi* aureolos illos V. Libellos de *Consideratione ad Eugenium III. Papam*. Praemisit Miniator: *Intentio huius libri est. In primo libro intentio est pertractare de quatuor uirtutibus cardinalibus quas in se debet habere papa. et ex consequenti ceteri prelati subditi ipsius. Et sunt iusticia fortitudo temperancia et prudencia. Rubrum I. II. De consideratione pape in se et ad se. quid sit quis sit et qualis et quantus sit. L. III. De consideratione eorum qui sunt sub papa sicut est uniuersitas prelatorum ecclesie. L. IV. De hijs que circa papam sunt. scilicet cardinales et aliam familiam ipsius. L. V. De hijs qui supra papam sunt sicut est deus et angeli eius. Opus integrum absque divisione in Capita decurrit. Initium est: *Subit animum dicere aliquid &c.* et finis: *sit finis libri sed non finis querendi. Lectio collata cum Edit. Maur.**

los deferre sententiam, qui aliquando de Scriptoribus *Cisterciensibus* ex instituto et fingillatim acturi sunt.

X. fol. ult. *De consiliu uirtutum et uiciorum*. Versus alterni jam Vol. I. P. 1. col. 406. et P. 3. col. 2508. indicati:

*Paris. T. II. col. 407. 1690. f. proba est.*

II. fol. 40. succedit Epistola: *Uenerabili abbatisse fontis ebraldi (Fontevraud Prov. Andegav.) M. P. cellensis abbas suus in christo amicus. gratiam et gloriam sponsi eterni. Init: Inspector conscientiarum deus et testis nouit &c. E* verbis sub finem: *andegauensis comitis filia surrexit — pro rege anglorum regem commutauit angelorum, jam Sirmondus notauit, Antistitam hanc Matildem fuisse Fulconis V. Com. Andegav. filiam, antequam velum fumeret, desponsam Guilelmo Henrici I. Angliae Regis filio, qui ante nuptias in mari periit. Ad hanc igitur scribit Petrus ex Abbate Cellensi et Rbemensis Episcopus tandem Carnotensis, elatusque a. 1187. cujus Epistolas primus protulit a. 1613. Paris. 8. dictus Sirmondus, Mauriani postmodum cum reliquis ejus Scriptis ibid. a. 1671. 4. repraesentauerunt, unde in *Biblioth. PP. Lugd.* receptae sunt T. XXIII. p. 824. *Epistola* ibi nostra L. II. n. 10. in his e Codice perfici posset: *Sine te inanis uniuersa creatura,*  
et*

et a te repletur angelica cum humana creatura. Lege secundo loco natura. Severius quoque mala eorum corrigere, quam male sana &c. rectius Codex errores eorum. Itidem coelestium negotiator mercedum, Codex bene interferit idoneus; male autem uterque mercedum; ego enim mercium scripsisse Petrum putem.

III. fol. 42. Bernhardus de debitore quadruplici. Initium: Si cognosceres tu quam multa et quam multis debeas &c. Finis: nec minime parti debitorum suorum valeat respondere. Est Sermo XXII. de Diversis multatus initio usque ad n. 5. et ultima particula. Extat edit. Maur. Opp. Vol. I. T. 3. col. 1127. et quanquam ibi inscribatur: De quadruplici debito, liceat tamen queri de Indicibus hujus Edit. 1690. in quibus neque Debitor, neque Debitum occurrit, et Elogium Coelestis Fistulae, quod Bernardus dedit Ambrosio, quaerere jubemur col. 11. dum col. 1129. legitur.

IV. fol. 44. Incipiunt quatuor omelie. Sed tu noli credere; duae enim modo sunt, et prima quidem Gregorii M. Sabbato quatuor Temporum seu ante Natiuitatem Domini in illud Luc. c. 3. Anno quinto decimo imperii &c. quae incipit: Redemptoris nostri precursor quo tempore &c. et habetur L. I. Hom. 20. edit. Maur. T. I. col. 1516. f. Altera vero in Vigilia natalis domini in illud Matth. c. 1. Cum esset desponsata &c. Origenis hoc initio: Que fuit necessitas, ut desponsata esset maria iohannis Denis Codd. Theol. V. II. P. I.

seph, nisi propterea quatenus hoc sacramentum dyabolum celaretur &c. Hieronymus L. I. Comment. in Matth. c. 1. autorem hujus opinionis Ignatium Mart. facit. Ab illo mutuatus videtur Autor noster latinus; neque enim Origenis sunt X. illae Homiliae de Diversis, quarum chorum ducit Nostra, collectae primum ab Merlino, et repraesentatae a Genebrardo in Origenis Opp. v. g. Edit. Paris. 1619. P. II. p. 274. Adi Pet. Dan. Huetii Origeniana in Append. L. III. impressa etiam ad calcem Edit. Maur. Opp. Orig. T. IV. Paris. 1759. f.

V. fol. 53. p. 2. Epistola Bernardi Abbatis Clareuallis, nempe ad Wilhel mum Abb. S. Theodoric, et mox: Liber abbatis Clareuallis de gratia dei et libero arbitrio. Epistola init: Opusculum de gratia et de libero arbitrio &c. Liber ipse: Loquente me coram aliquando &c. et extant Edit. Maur. Suprac. Vol. I. T. II. col. 603. Varia sunt, in quibus lectio discrepat, nec prorsus spernenda. Ita sub initium ubi Edita: Quid enim, inquam, tu consulis? Da, inquit, gloriam Deo &c. Noster: Quid enim, tanquam consulens, da, inquit gloriam Deo &c.

VI. fol. 70. p. 2. Epistola beati Bernardi ad Wilhel mum abbatem. liber iste dicitur apologeticus (sic) hoc est contra detractores. Conciliatio magis inter Cistercienses et Cluniacenses, qui se invicem carpebant. Init: Uenerabili patri &c. Usque modo si qua me scriptitare iussistis &c. Extat T.

mox cit. col. non 327. sed 527. cum Praefatiuncula, quam non habet Codex, qui miniatis distinctionibus gaudet.

VII. fol. 82. De cantico Ezechie regis. Ego dixi in dimidio dierum meorum. Initium: Uiri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos perseverantes in sua uetustate &c. Est sermo Bernhardi III. de Diversis T. III. cit. col. 1090.

VIII. fol. 85. p. 2. De David et Golya quinque panibus Sermo de temperantia. Initium: Audiuimus ex libro regum goyam uirum proceri stature presumentem &c. T. III. cit. col. 936. Dom. IV. post Pentec. Sed nutat hic Sermo inter Bernhardum et Nicolaum Claraevall.

IX. fol. 87. Item ex psalmo afferte domino. Expositionis Bernhardi abbatis. Initium: Afferte domino filij dei &c. Uobis dicitur nouitij. attendite nouitij. attendite si cupitis esse filij dei &c. Vides Expositionem hanc, quae tota mystica est, adscribi Bernhardo; nihilque opinione mea repugnat. Interim illam in Editione saepe cit. non reperiō. Procedit illa *synegus* usque ad hujus Psalmsi XXVIII. v. 10. atque ita exit: uocem reuelationem ueritatis. sermonem aspirationem uoluntatis. Unde mutilatam putem. Integra fortassis alibi gentium in Codicibus Bernhardinis delitescit.

X. fol. 102. Incipit prologus ad fratres de monte dei. Novimus Epistolam sive Librum ad Haimonem Priorem et Fratres Carthu-

fae Montis Dei in Dioec. Rhem. in variis Codicibus Bernhardo tributum, sed rite vindicatum Wilhelmo, quem contra Codices Exteri Guilelmum scribere malunt, Abbati S. Theodorici. Extat is Edit. *suprac.* Vol. II. T. V. col. 199. Verum nulla ibi mentio Prologi nostri, qui tam Wilhelmo, quam Bernhardo indignus incipit: Misericors et miserator dominus de uia plena miserie et sine misericordia. miserabilis misericors miserationis uirga uel certe uirga ferrea sepius educit &c. nihilque ad rem pertinet. Eo absoluto sequitur: Karissimis fratribus H. priori et W. Sabbatum dedicatum. Pene imprudenter et plusquam decet &c. Edita legunt: H. Priori et ceteris W. Sabbatum delicatum. Pene imprudenter et plusquam decebat &c. Ubi vides, *τὸ et W.* si in pluribus occurrit Codicibus, causam praebere potuisse Libri a Wilhelmo ad Bernhardum transferendi, dein Sabbatum dedicatum fortasse praepotandum *delicato*, idque eo etiam, quod Autor non multo post verbis *dedicare* et *dedicandum* utatur. Finit haec nostra Praefatio cum verbis: *donec ipso lucis amore assuescant*; ut Editiones ceterae, neque habet, quod Mauriana deinceps adtextit. Ceterum integra est Tractatio.

XI. fol. 132. Incipit Epistola Bernhardi abbatis Clareuallensis ad almaricum (Aimericum, Haimericum) cardinalem et Cancellarium de dilectione dei. Initium: Oraciones a me et non questiones poscere soleba-

lebatis &c. In Edit. Maur. Vol. I. T. II. col. 583. rectius *Liber seu Tractatus* audit.

XII. fol. 148. praemisso tractandorum conspectu *Incipit liber Abbatis Clareuallensis de duodecim gradibus humilitatis*. Non male adderetur: *et superbiae*; haec enim Partis II. argumentum est. Init: *Rogasti me frater Gott.* (fride) *quatenus ea que de gradibus &c.* Ut l. cit. col. 559. Lectio Codicis satis proba.

XIII. fol. 168. *Epistola Abbatis Clareuallis ad abbatem Columbensis*. Et post illam: *Incipit liber de precepto et dispensatione*. Abbatem illum volunt *Rogerium Mauriani*, quorum *Admonitionem* huic Tractatui praemissam l. cit. col. 495. si lubet, adi. Epistolae initium est: *Rescriptum meum ad epistolas duorum carnotensium quorundam monachorum &c.* Tò duorum non habuerunt in suis Editores. Cetera omnia integra.

XIV. fol. 188. p. 2. *Sermones Ejusdem* II. quorum prior: *Omnes nobis causamur deesse gratiam &c.* Alter: *Magna est super nos dilectissimi magna ualde &c.* Uterque inter *Sermones de Diversis* T. III. ille n. XVII. col. 1118. hic vero n. XXVII. col. 1139. Ille finit in verbis: *contemplacionis proficere gradum*, omiffa adclamatione: *Eia fratres &c.* hic integer est.

CCCCXXI.

U.99 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 71. 4. eleganter exa-

ratus, Fronte auro coloribusque et *Math. Corvini Hung.* Regis Insignibus ornatus, collabescente hujus Bibliotheca ad *J. Alex. Brassicanum*, nescio quomodo, cum aliis pluribus devolutus, et tandem emtus ab *Job. Fabro* Antistite nostro continet: I. *D. Bernardi Claraevall.* Abbatis Libros V. de *Consideratione ad Eugenium III.* Pont. Rom. suum olim Alumnum, sine Capitem distinctione, Libris tantum litera quadrata picturata indicatis. Initium: *Subit animum dicere aliquid, quod te papa beatissime Eugeni uel edificet uel deleat uel consoletur.* &c. Conditio textus est infra editum T. II. edit. Maur. col. 407. Sunt tamen, quae expendi merentur. Ita statim ab initio lego: *et si ambules super pennas ventorum, subderis tamen affectui;* ubi Edita: *nec si ambules super pennas ventorum, subduceris affectui &c.* Titulus operi nullus.

II. fol. 44. pariter absque titulo Opusculum, quod in cit. *Bernhardi* edit. T. V. col. 319. *Meditationes piissimae de Cognitione humanae Conditionis*, in *Hugonis* vero de *S. Victore* Operibus *Rotbom.* 1648. f. T. II. p. 132. *Liber I. de Anima* inscribitur. Indivisum decurrit, et incipit: *Multi multa sciunt et se ipsos nesciunt &c.* In Codicibus frequenter *Bernhardi* nomen, et titulum *de interiori Homine* praefert; *Mabillonio* tamen spurium visum est de causis, quas praevie movet. Neque *Rotbomagenses* pertinaciter *Hugoni* infistunt. Exemplum nostrum ab Editis saepe variat, plerumque in pejus.